

V d
791

09.4



42. 43, 16.

V 2
791.

PROPTER
POTENTISSIMI
POLONIAE REGIS
ET
SERENISSIMI
SAXONIAE ELECTORIS
FRIDERICI
AVGVSTI
EXOPTATISSIMVM
IN
TERRAM PATRIAM
REDITVM
ORATIO
LAETITIAE PVBLICAE INTERPRES
LVDOV. FRIDER. HVDEMANNI,
HOLSATI.

LIPSAE AN. MDCC XXVII. MENS. MAI.

TYPIS IMMANVELIS TITII.

PROPTER
POTENTISSIMI
POLONIAE REGIS
ET
SERENISSIMI
SAXONIAE ELECTORIS
FRIDERICI
AVGVSTI



EXOPTATISSIMA
IN
TERRAM PAVANIAM
REDI
ORA
LITTERAE PAVICAR IN TERRIS
LUD. FRIDER. HEDMANNI
PROP. A.
VARSIAE AN. MDCC. LXXII. MDCCLXXII
TIT. EMANUELS. TIT.





Um tot hominum linguæ sol-
vuntur in júbila; cum festi-
vitas harum dierum plausus
omnium excitat; cum vel
infantes exemplo suo læti-
tiæ publicæ edunt argumen-
ta; quis mihi vitio ducat,
quod illius signa & mea in apertum proferat
adolescencia? Neque tamen eo arrogantiae at-
que temeritatis me proVectum aliquis existimet,
ut de adventu *Potentissimi Poloniae Regis*
FRIDERICI AVGVSTI,
Domini nostri longe Clementissimi, verba fa-
ciens, etiam in laudes Ejus imbecilles ingenii
mei vires sufficere arbitrer. Uti enim Impe-
ratoris Trajani virtutibus sola Plinii facundia
par erat; sic & *Serenissimus AVGV-*
STVS, vivum illud humanitatis virtutum-
a 2 que

que symbolum, nonnisi a Pliniis recte celebra-
bitur. Quid me vero impulit, ut vulgari tur-
bæ vulgare ingenium meum exemerim, cum
propter adventum *Tanti Principis* eorum ex-
cellentissima occupantur? Plane id mihi even-
nit, Auditores, quod infantibus, quorum in-
signis voluptas est in confessu adulatorum posse
loqui, cum ipsum Parentem balbutiente sua
lingua delectari sentiunt. Sic etiam magno-
rum virorum exempla nec mea recusat infantia
imitari, cum *Patris Patriæ* iram haud ex-
timefendam videt: Qui forte non minus sim-
plicitate mea, cui omne suum ab affectu preti-
um venit, quam splendidissimo verborum or-
natu, ad singularem aurium jucundita-
tem composito, delectabitur. Utinam vero
adesset Numen illud, Cujus aspectu mota mens
mea altiore impetu surgeret; Cujus præsentia
hæc mea latera firmaret; Quod me ad majus
aliquid ingenio meo loquendum inflammaret!
Si Sacerdotes quondam inanimatis Deorum
suorum simulacris ad divinas animi cogitatio-
nes rapi sibi videbantur; certiori sane fato ad
Dei nostri Tutelaris prototypon, ingenium
meum humo se tolleret, atque digniore spiri-
tu sermonem animaret. At vero quemadmo-
dum splendorem solis nonnisi in rebus quas
illu-

illustrat, contemplari licet; ita & mihi sufficiat, in felicitate subditorum, atque magnitudine rerum gestarum, imo & hodiernæ diei lætitia divinam **AVGVSTI** Indolentem admirari. Et quidni Regiæ Majestatis splendor oculis meis nictantibus expositus, ita illorum aciem præstringeret, ut cœcutienti similis in media via hærerem? Hinc lucem quam aquilæ vix ferre possunt, imbelles columbæ merito reformidant. Sed partium quas mihi imposui memor, felicitatem qua Benignissimi sui Regis auspiciis perfruitur Saxonia, sermone jam persequar. Nullis autem verborum blanditiis in argumento tanto, tamque prope ad Vos spectante, benevolentiam gratiamque Vestram aucupabor.

Jam igitur ad felicitatis nostræ *Autorem* humillima pietate oculos intendamus, & ex Illius bonitate beatissimum vitæ nostræ statum non sine singulari voluptatis sensu æstimemus. Quid vero est quod Saxonia inter omnes Germaniæ terras tantum emineat,

quantum lenta solent inter viburna cupressi? quod opibus affluat? quod belli turbas ignoret? quod fertilitate sua vel cum ipsa Italia contendat? Omnes sane fatebimur, esse invictis Principum nostrorum animis tribendum:

Quorum plane paternus affectus ferreum hoc
Seculum in aureum commutavit. Neque tem-
poribus recentissimis Paradisus Saxoniae invio-
latus permansisset, nisi magni **AUGUSTI**,
veluti Angeli sui Tutelaris praesidio, custoditus
esset. Praeterea ingentes acervi divitiarum tot
vetitas arbores in illo producunt, ut earum fru-
ctu innumeris pereundum foret, nisi leges sa-
pientissimae libidinem hominum coercerent.
Ipsa tecum pugnares Saxonia, ferroque in visce-
ra tua saevires, si tantis Rectoribus destituta vi-
veres! Immodicas cupiditates, abundantiae tuae
progeniem, belli duces haberes: tituli atque opes
arma essent quibus te opprimeres: civium pra-
va jurentium ardor, & mala consuetudo ma-
gnos animos tibi adderent. Sic opulentissi-
mam quondam Phoenicum urbem, clarissi-
mam Poenorum civitatem Carthaginem, prin-
cipemque Rerumpublicarum Romam non ma-
gis hostium armis, quam civium luxu & rerum
copia infestatas novimus. Sed divinae gratiae,
curaeque Principum tuorum debes Saxonia,
quod florentissimus rerum tuarum status haud
exitii tui causa extiterit. Religionis puritate
Deo sacrificas: scholis bene ordinatis arbores
alis, quae fructibus uberrimis gremium tuum
implent; quarum virtus aestum malorum sedat;
sub

sub quarum umbra latissima adversus externas
procellas atque imbres tuto confidebis. Merca-
turam exerces toto orbe celebratissimam, cum
fidelis nutricis instar, alimenta quibus abundas,
in ceteras Germaniæ terras, benignissima ma-
nu, confers. Sed quid potius te nutricem
Germaniæ, quam matrem dicam, cum anti-
quissimæ genti tuæ maximam ejus partem ori-
ginem suam debere haud inepte conjiciant
multi? Accedit quod patria potestate in regio-
nes circumjacentes sæpissime decreveris, nec
minus paterno animo laceffentium hostium vi-
res contriveris. Proinde Franci, primaria
Germaniæ gens, tanta veneratione te colue-
runt, ut extincta stirpe Carolingica, ad Ducem
Saxoniæ atque Thuringiæ Ottonem, He-
roëm Indole præstantem, manu strenuum, re-
gendi artis peritissimum, Imperii Summam de-
tulerint. Qui tamen perspicacia plane singu-
lari futura tempora contuens, dignitatem re-
spuit, in qua suscipienda plerique Principum tan-
tam gloriam quæsisissent, quantam ille in recu-
sanda consequeretur. Neque hoc dubito affirma-
re, quod quantum vir juvene valentior est, tan-
tum fortitudine reliquam Germaniam Saxonia
antecellat. Quid ingentibus Caroli M. cona-
tibus

tibus majorem in modum obstitit, quam armata Saxonum manus? Jactent Romani suos Scipiones, Marios, Fabios, Pompejos, Cæsares; nos Witechindos, Ottones, Henricos, Johannes Georgios, Fridericos Augustos numerabimus. Quis tamen e Ducibus Latii cum magno Witechindo jure comparari potest, cujus sola fortitudo Imperatori per omnem Europam arma victricia circumferenti tantas clades dedit? Et quisnam adeo mirabitur Romanos tot reportasse victorias, quorum nomen regiones pervagabatur, antequam eas adibant? Imo vero si fama bella constant, victorias illorum haud magni constituisse judicandum. At unicuique populum cladibus civium suorum haud prostratum, totius Europæ debellatori sese opposuisse, non dicam expectationem vincere, sed omnem plane fidem excedere. Sed ad magni Witechindi Sobolem Dignissimam, quæ nostrum Seculum illustrat, nos convertamus, quantumque in Ea largienda de nobis fata meruerint, dispiciamus. In Te autem commemorando **FRIDERICE AVGVSTE**, *Regum Eminentissime*, sentio inprimis, quam exigua mihi sit ingenii facultas, quamque parum aptus sermo deduci a me queat. Dicam tamen quæ adfectus omnium flagrantissimus, quo

quo *Majestatem Tuam* veneror, menti offeret; licet in magnitudine *Tua*, cujus minimam partem delineo, imbecillitas mea maxime pateat. Malo enim deterere ingenio, quam exundanti lætitiæ, insolitoque animi mei fervori temperare. Ut autem ab ipsa *Regis nostri Clementissimi* Infantia ordiamur, Auditores, jam hæc satis arguebat, quantum Heroëm natura præparasset. Tenerrimum namque corpusculum futuram indolem haud obscure indicavit, argumento certissimo, vel ipsa incunabula magnos Reges interdum designare. Excellentissimus corporis habitus, & forma mascula, quam vigor oculorum eximius illustrabat, eam in prima ætate venerationem excitavit, quæ Regiæ purpuræ postea debebatur. Quanta fortitudinis, animique imperterriti documenta! quanta futuræ clementiæ certitudo! Membrorum agilitate roboreque *Hic Princeps Juventutis* vel celeberrimos in arte Gymnastica viros superabat; id quod experimenta frequentissima declarant. Neque ullam rem adeo est exosus atque desidiæ, optime judicans quantum hac magistra vires tum animi, tum corporis, minuantur. Hinc ardor egregius quem

b

quem sola virtus sibi imputabat, Hungariam
versus Eum compulit; in qua terra furorem
ingruentium Turcarum represit, magnaque
clade hos Barbaros debellavit. De Achil-
le refert Homerus, arma, quæ amico suo Pa-
troclo dederat, Trojanos fugasse, cum ipsum
Achillem iis contra se uti existimarent. Fa-
tendum vero, *nostri Regis* arma duntaxat
in manu *Illius* terribilia apparuisse; alte-
rumque Scanderbechium Turcas esse exper-
tos, cujus acinaces totum hominem, sed
nonnisi Ejus brachio ictum faciente, divide-
bat. Neque tamen hac victoria contentus
a labore quievit; sed anno insequenti Temes-
wariam felicissima obsidione Turcarum sæ-
vitia liberavit. Hisce laureis redimitus Vien-
nam petiit, ubi *Eum* amicissimus magni Leo-
poldi animus innumeræque acclamationes
exceperunt. Nec diu in hac urbe commo-
ratus, octo millium militum manu arma-
tus Polonos adivit, qui de novo Rege solli-
citi in varias partes abibant, his Duci Con-
teo, aliis Principi Jacobo, aliis Ludovico
Principi Badensi faventibus. Jugum vero
Gallicæ potestatis sibi hæc gens imposuisset,
nisi *Rex noster Augustissimus* veluti
Deus

Deus e Machina advenisset: Cujus fortitudo, animique bonitas, summaque in regendo prudentia perspicacissimos Polonorum commovit, ut Eum ceteris ambientibus præferrent; præsertim cum ipse Imperator Leopoldus, & Princeps Jacobus, Conteum averfantes, cum Illo facerent. Hinc diademate ornatus solium conscendit, quod universæ Saxonæ maximos luctus dedit. *Principem* namque suum, in Quem omnium incolarum vota conspirabant, non secus ac morte sublatum querebantur. Justissimum quidem dolorem tuum nemo est qui damnare possit Saxonia; sed perpendere debebas, *Regem Tuum* soli esse comparandum, qui radios etiam in longinquum emittit. Idem tibi adfectus duravit in Polonia, qui te in terris tuis beaverat. Nullis namque mutationibus Herois tui animus obnoxius esse potest, cum in te amando, gratiaque *Sua* fovendo, *Se* Tantum præstiterit. Oculi licet ereptum jubar defleant; mens tamen in tot clementiæ bonitatisque effectibus præsentem Deum suum ubique conspiciat. Nonne sole subducto e noctis caligine demum reputamus, quantam faceremus jacturam, si benignum

hoc fidus nunquam ad nos reverteretur?
Et quis est qui lucem probe æstimaret, si te-
nébrarum horrorem nullo tempore perfensis-
set? Nunquam magnus **AVGVSTVS**
carissimis Saxonibus suis in bello, nunquam in
pace, defuit.

Omnis in his filiis Cari stat cura Parentis.

Cum Carolus XII. Suecorum Rex, Ale-
xandri M. factis suo exemplo fidem fa-
cere conatus, torrentis instar Poloniam
Saxoniamque inundasset, aggerem ei ob-
struxit inprimis prudens **FRIDERI-**
CI AVGVSTI labor. In Polonis
quidem parum auxilii fuit, quippe quos fa-
ma Suecicæ fortitudinis velut fulmine teti-
gerat. Et quid paucissimorum Saxonum
virtus contra tantum hostium agmen aude-
ret? Ausa tamen est, sanguineque suo pro
magnitudine affectus in Regem, saluti Polo-
niæ litavit. *Qui* vero in partes suas pri-
mum Russos, deinde quoque Danos per-
trahens, vires Suecorum tam consilio quam
armis fregit. Tandem calamitatum Saxo-
niæ finis aderat, Suecis in Russos arma ver-
tentibus, cum non minus sanguine civium,
quam

quam magnis opibus, Saxoniam privassent. Sed fortuna illorum in casum prona, prælio Pultavensi plane collapsa est, inconstantiaque suæ signum multorum millium strage dedit. Antequam vero Suecos omittam liceat mihi factum omni æternitate dignissimum enarrare. Rex Carolus Saxoniam egressurus, offensum Regis nostri Clementissimi animum adeo non veritus est, ut illum in augustissimo urbium Saxonicarum capite adiverit. *Qui* inaudito hactenus exemplo Hostem suum acerrimum benevolenter allocutus, intemerata majestate atque libertate dimisit. O insigne mansuetudinis Regiæ documentum, quo memorabilius nullum unquam existit! Quantus Rex celebreris Carole, si etiam his **AVGVSTI** victoriis triumphasses, cum illum virtute bellica tam exacte referres! Hoc tamen facto dignitatem Regiam, quam in Optimo Principe libaveras, magis conspicuam reddidisti. Cum enim tantam animi magnitudinem suspicareris, probrum certe tuum, sed non minus **AVGVSTI** gloriam adauxisti. Quid autem opus erat post inter-

b 3

necio-

neconem exercitus tui Turciam petere, ut
mora vires restaurares, quæ postea Saxo-
niam rursus invaderent? Nonne ferale no-
men Benderæ mortis Te admonere potuit,
quam in obsidione Fridrichshalæ obiisti?
Quid juvabat Clementissimi Danorum Re-
gis animum in Cimbros exasperare? Sed
tristissimam harum rerum memoriam ho-
die merito damno. Hic enim dies ea læti-
tia me cumulare debet, qua Vos omnes
exultare video Auditores. Vestrum qui-
dem plerosque Regium Sidus clarissimum
propius aspicit; attamen etiam ad me Il-
lius fulgorem beneficum penetrasse dicen-
dum est, cum pro salute universæ Germaniæ
Rex vester dimicaverit. Gaude tamen præ-
ceteris omnibus Lipsia, incluta Musarum Sa-
xonicarum Sedes! Tu jam excepisti hospiti-
o Regem, qui celeberrimum Sacrarium
tuum adversus profanorum hominum insul-
tus constantissime protegit: Qui Musas tuas
arctissimo suo complexu dignatur, honore
maçtat, beneficiis innumeris auget. Gau-
dete Mercatores, quod securitati opum ve-
strarum, quas in tot Regnorum emolumentum

tum dispensatis, **AVGVSTI** Numen in-
vigilat. Gaudete opifices! vestrarum nam-
que manuum sudor tam in vestrum, quam
in patriæ commodum cedit. Gaudete co-
loni! vestrarum arvis jam alta quies incumbit,
Vobisque tam feritis, quam metitis. Tua
vero facta, **AVGVSTE** *Invictissime*,
nulla pars mundi ignorabit, nullum un-
quam ævum conticescet!

Dixi.



10791

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes the name 'A. V. S. T. R.' and other illegible words.



mc




ULB Halle

3

003 077 39X







26. 42, 16.

V 2
791.

PROPTER
POTENTISSIMI
POLONIAE REGIS
ET
SERENISSIMI
SAXONIAE ELECTORIS
FRIDERICI
AVGVSTI
EXOPTATISSIMVM
IN
TERRAM PATRIAM
REDITVM
ORATIO
LAETITIAE PVBLICAE INTERPRES
LVDOV. FRIDER. HVDEMANNI,
HOLSATI.

LIPSAE AN. M DCC XXVII. MENS. MAI.

TYPIS IMMANVELIS TITII.